



14424 *katkomp.*

III Mag. St. Dr. P

Carobus.

Sandomirensis Collegii Sac. Jani Equites
Korcziani mausoleum.

PANEG. et VITAE
Polon. Fol.

N^o. 466.

Biblioteka Jagiellońska



stdr0005576

Autor Kanon Renov. Andrey
XII. 99.

E Q V I T I S K O R E C I A N I M A V S O L E V M.

Æternis Virtutum Gloriæque Characteribus

IN S C R I P T V M

A Collegio Sandomiriensi Societatis IESV.

D V M

Exequiarum Iusta soluerentur



Illustrissimo & Excellentissimo PRINCIPI

S A M V E L I C A R O L O
K O R E C K I , D V C I I N K O R Z E C ,
Gubernatori Ropczycensi.

Sub Illustrissimis Tutorum Auspiciis,

B O G V S L A I C O M I T I S à L E S Z N O
L E S C Z Y N S K I ,

Thesaurarij Regni Maioris Poloniæ Generalis,
Capitanei Miedzyreceń. &c. 144247.

R A P H A E L I S C O M I T I S à L E S Z N O
L E S C Z Y N S K I ,
Succamerarij Bresteń. &c.

Nec non Heredis Illustrissimi

S A M V E L I S C O M I T I S à L E S Z N O
L E S C Z Y N S K I ,
Palatinidæ Derpatensis.

A N N O S Æ C V L I , M . D C . L I I .

C R A C O V I Æ ,

In Officina Viduæ & Heredum Francisci Cæsarij. S. R. M. Typog.

A D
F L L V S T R I S S I M O S
H E R E D I S T V T O R E S.

Hestinata SAMVELIS KORECII in morte, fatis an hominibus irasci oporteat, ij viderint, quibus in abdita rimarios & fas Illustrissimi DD. Mirari cum Tullio, volucrem rerum humanarum cursum, non indignari, eos conuenit, qui ut ad Aeternae mentis arbitria se suaq; singunt, ita euentorum causas altiores habent, quamquæ in summo positæ cernuntur, & feruntur vulgo. Sæcula & Homines, adeoq; & ortas ex utrisq; familias interire, non hoc primum edocemur exemplo. Habet in numerato mærens Patria, qui, quum illustre à Maioribus genus non accepissent tantummodo, sed & fecissent, hodie in solis duntaxat Annalibus, prosapia vitam habent. Et fortasse non incommodè (si Tacito assentimur) rebus mortalium consuluit natura, ut sua ora fluminibus, suos & cursus, vtq; originem ita fines daret. Viuit attamen, viuetq; fautorum melius quam fastorum memoria SAMVEL suo immortuus OLGERDO. Quanquam quid exhaustam querimur KORECIANI Sanguinis venâ obtento Herede; ad quem paternis maternisq; splendoribus ornatissimum, Martiales KORECIORVM virtutes & insignia, iure Hereditario transferunt. Fatale hoc Turcis nomen, quod in Te ad utriusq; SAMVELIS, hoc est, ad Aui & Auunculi gloriam adolescit cum annis. E Magni SAMVELIS Heroicâ planè Filiâ prognatus, quidni Martiales Viri spiritus in Te transfusos cogitemus. Evidem in Vos, Illustrissimi Domini, magnis retrò subnixos Maioribus, haec tam subita Principalis fastigij incubuit ruina. Vos velut supremas labantis Ilij reliquias aspectabili gentis LESZCZYNIÆ PALATIO excepistis, Ducalibus auorum Statuis & imaginibus, Vesta inter Vestrorumq; decora collocatis. Nobis, qui è vicinia Pijs Manibus benè precaturi accurrimus, hoc in funere postremis, si non emortualis straguli lacinias manu sustinere, aut præferre facem, at licet, saltem inter Umbras magni corporis sequaces censi.

Illustrissimarum Celsitud. VV.

Obsequijs paratissimum

Collegium Sandomirien.
Societatis IE S V.

D E O

E T M E M O R I A E P O S T H V M A E.
SAMVEL CAROLVS KORECKI

Hoc à Patre, illud à Patruo nomen inditum

Vtrumque ex dignitate vtriusque gessit.

Primum id prolis Heroicæ elementum est :

Patria virtutum vocabula reddidisse factis.

H I N C

Senatoriam * Aui mentem, peritiâ consulendi :

Præliarem * Patrui genium, studio armorum :

Ciuilem * Patris prudentiâ, dexteritate agendarū rerū,

Compendio in se transtulit, & absoluit.

* Palatini Wol-
hyn.

* Terroris Tur-
carum.

* Castellani
Volh.

Nimirūm

Excellentis naturæ est, rapi in similitudinem suorum.

Vitæ Annales, non tam ætatum discrimine

Quàm domesticis carorum funeribus distinxit.

Puer admodùm, fatis præcepta Matre,
Bullam pueritiae, pullâ veste affixit.

Adolescens Patre orbatus

Prætextam posuit paternis cum exuuijs.

Ætate vir: Togam & Sagum

Pacis & belli usib; quoad licuit, detruuit.

Cyrum diceret à puero iam inde expositum aduersis;

Quasi præbendus fortunæ fuisset, vt contra ipsam, ab ipsâ duraretur.

Ne tamen orbitatis damna sentiret,

Eius edu-
catio.

Parentum loco, altrices Honesti literas adamauit.

Vel idcircò maternis abstractus à complexibus,

Quò maturius ad Musarum illicia aspiraret.

Q V I P P E

Nec simplex ætas capi solet, quin spe aliquid prægustârit;

Quanquam facile bonis artib; optimi quiq; inescantur.

E fidissima integerrimi † Tutoris Prudentia

+ Nicolai Du-
cis Czartory-
ski Terrarum
Wolh. Castel-
lani.

Idoneos doctrinæ morumque nactus eruditores,

Metum & Cupidinē, duos iuuentæ Scopulos impunè transmisit;

Arcadijs & Theodosijs hoc laudabilior,

Quòd terrorem non incusserit Arsenio, cui obseruantiam debuisset,
Ducali in Collegio Principem sui partem excolere aggressus,
Ad sublimia operum, cæptis grandibus prolusit;
Vt iam tum digna literis gesturus videretur,

Ostrogij literas auspicatur

Quòd sic deperiret literas,

Quibus imbui suam purpuram voluit, non tingi.

Nusquam non propitiam expertus Palladem

Quiduis ab ingenio impetrabat suo.

Vrgeri se Ephori stimulis haud tulit,

Cui proprium calcar Gloria admouisset.

* Alter Isocratis
discipulus tar-
dior.

L S E D H E V !

Literario in ludo prima laudum Olympia ludentem
Obiecto Patris tumulo, mors pedisequa tardauit!
Hæc Terminalia, ludos ei clausere Prætextatos!

Studiorum
cursum Patris
obitus intersti-
tit.

A T I L L E

Quam studia præcipiunt pietatem

Alias in cultu & obsequijs, hic in luctu & Exequijs, exsecutus,

PARENTEM PARENTALIBVS complorauit.

Cui parentat
in vrbe sui
Ducatus.

Nemini æquiùs immortalem precatus lucem,

Quam à quo ipse accepisset mortalem;

Nec vlli iusta iustius exsoluit, quam Iuris vindici

Tribunalitiâ ex vrbe ad Diuinum euocato Tribunal.

Defuncto Lu-
blini.

Ex insignibus Magni Progenitoris, ea selegit audiùs,

In quæ rapax fatorum necessitas nihil posset

Æternæ mentis mansuram Imaginem:

Quam (recto + Boleslai ex more) identidem respectans +

Kriuostii.

Exigeret à se quidquid sui fuere Primores.

Et en consimilem fortis ordinem acuenta!

Paternum è viuis discessum, suâ ad Exteros profectione exceptit,

Patre sepulta
iter ad Exte-
ros adornat.

Ita diuersis ambo, viæ vitæque itineribus, Patriâ excessere;

Dispar tamen utriusque exsiliū :

Huic suopte arbitrio, illi æternis legibus imperatum.

Laudatissimæ ad longinquæ regnæ excursionis

Præter fortunam comitem, & famam prodromam

Vna cum Du-
cibus Czarto-
riscijs.

Collegas (iure sanguinis) adlegit Principes:

CASIMIRVM & MICHALEM CZARTORISCIOS,

Stirpe Regiâ, summis dotibus, ingenio eminenti germanos;

Eorum
indoles,

Libenter illic studiorum stadia decursurus,

Vbi genere, annis, & animis concurrerent Æquales.

Vna

Vna hæc certissimæ Fraternitatis ratio est,
Eundem sanguinem virtutibus & affectibus miscuisse.

Et consanguini-
tas cum Ko-
reccis.

Nec immerito

Illustribus Trium Principum ingenij

Principes in Stiria, Austria, Belgio, Academiæ quæsitæ :

Vt qui iam spe ingenti Patriam implæssent,

Florentissima Vniuersitatum Gymnasia sui admiratione occuparent.

Sic disiunctas cælo prouincias, famâ nominis coniungentes

Auditi pariter, spectatique sunt in theatro terrarum.

Mitioribus primò, dein seueris instructi disciplinis,

Vtrasque Humanitatis in vnu, & officijs expressere.

Eximum id, præcellentium Animarum priuilegium est,

Etiam in Regno literarum palmam præ alijs tenuisse.

Pulchrum illis excellere sciendi appetentiâ,

Nè sera sibi (vt Carolo V.) inscitia poenitentia obreperet.

Adeò Martius alioqui * Olgerdi & Vitoldi sanguis

Pacatum doctioris Mineruæ in amorem caluit!

Lipsius.

Maiores ho-
rum Princi-
pum.

Tullij & Aristotelis eò studiosior,

Quòd Orationem alter, alter excoleret Rationem;

Cuius periculum facturus in Logicis Assertionibus

Sapientiæ Doctores terruit, eorum de se iudicia antegressus.

De Vniuersa
Logica dispuz-
tat.

Rediisse putares tempora, quibus Principes

Æquè cupidè eruditioñem ac potestatem ambirent.

Oeto Physicorum libros (quos orbi inuiderat Macedonicus)

Vt essent sui iuris, intelligendi possessione obtinuit.

Documento: Rectiorem Principum Philosophiam esse

Per Naturæ abdita, ad Consiliorum secreta descendere.

Duaci apud Belgas Princeps (quod Plato voluit) philosophatus,

Peripatetici Principis, in publicâ defensione, patronum egit.

In Collegio
Societ: Iesu.

Veteris memoriæ Scriptores eo euoluit consilio

Quò calamitatis alienæ fastis cautor,

Vtriusque fortunæ prompta haberet vel remedia, vel exempla.

Ethicæ, Politicæ, Mathematicæ percupidus

Quòd illa virtutibus, hæc Curiæ, postrema suffragetur Castris:

Prima Hominem, altera Ciuem Patriæ, tertia Bellatorem imbuat.

Artes fortunæ
sue congruas
ediscit.

Pacis tamen Artibus Equestrem libens adiecit,

Vtpote suo EQVITI ornando armandoque aptam.

Septennio Externis immoratus Nationibus

Opum ac Temporis impendia, Experienciæ lucris redemit.

Secùs quām plerique peregrinantur: Solem & Solum mutando

Linguarum notitiam assuetudine vitiorum corrumpunt;

Nec modò ætatem ingloriè sed & animam foris agunt.

Iacturæ pere-
grinantur.

ID PLANE EST

Spei florem terere alibi, nè fructum domi legas.

Admirabiliore à parte Dux KORECIVS

Impositam sibi à Natura personam PRINCIPIS

Vbiq[ue] ex decore Prosapiæ sustinens ostentansq[ue];

Dignos gentium oculis & plausibus actus dedit.

Libertatis prærogatiuam iu Licentiæ titulum nè transferret

Sui ipsius imperio, non Parentum supercilie effecit.

Speciosa verbis, re inania haud moratus officia

Tacitus.

Regum Curias, Artium situs, Vrbium armamentaria intropexit;

Italiæ Vrbanitatem, Germaniæ candorem, Galliæ comitatem,

Belgij militares industrias, Angliæ acumen

Propria Nationum attributa.

Ad Lydium moris patrij expendens,

Nil in moribus absconum, nil in cultu arrogans admisit;

Gnarus vtique

Generofius quidlibet suâ nasci in Sede.

Curtius.

Trans Alpes Honori EQVITIQ. suo peruias

Ingens Mediolanum capaci indole impleuit.

Inde in Vrbem, publicum Orbis Hospitium diuertens,

Romanam Pietatem cum sermonis puritate hausit.

Insuper : quâ erat corporis habitudine,

Armorum tractationem in Schola Martis Belgici edoctus

Militiæ Tirocinia Exemplis fortibus terminauit;

In Belgica di-
gladiandi ar-
tem accepit.

Cùm postea

Triumphalis Patrui speciem altè animo conceptam

Cruentis ad Zborouiam impressionibus expressisset.

Vnâ illâ multarum instar Expeditione testatus Orbi

Quid in Patriam Amoris, quid animi in Rebelles haberet.

Quò loci: Hostium sanguine, & suo sudore ductis lineis

Eius Fortitu-
do memora-
bilis.

KORECIANÆ Fortitudinis operi, manum imposuit supremâ.

Felix qui illâ ipsâ in acie

Augustâ IOANNIS CASIMIRI voce ad posteros commendatus

Magno SAMVELI par * encomium non inuidit Nepos.

* Datum à Si-
gisim. III.

Equo glande plumbeâ trajecto & lapsante,

Propè ad metas vltimi discriminis accesserat

Nisi confidentiæ suæ Causam & simul Patrocinium

In Matre Exercituum, (Veriore campi Dominâ) reperisset;

Cui Sponsalitijs olim subarrhatæ Annulis :

Gladium & Brachium Votiuâ sponsione dicauerat ad Aras.

Regni ad Tribunalia Deputato persæpè Iudici

Non

In Deiparam
Pietas & Do-
naria votiva.

Non aliud Sententiæ pretium, quàm rectè iudicâsse.

Tribunalitum
Iudicem mul-
toties egit.

Nempe, in fastigio Principalis opulentia posatum
Omni affectione aut superiorem aut intactum fuisse par erat.

Idem nulli non hominum Ordini per familiaris,
Venerationem sui (quod mireris) è proximo intendit !

Dotes corpo-
ris.

A natura præstanti

Dignum Heroico Spiritu domicilium sortitus,
Decorâ proceritate oris ac vultûs maiestatem auxit.

Manu & ferro quis fuerit, vt probaret,

Rebellantium nuper reliquijs quà fugatis, quà deletis,
PACIFICATOR latè per * Wołhyniam audijt.

Quo tempore, nouo propagandæ gloriæ usus artificio,

Tot nominibus suorum Ciuium Pater exstitit,

Quot amoto seruitutis iugo, Liberos post se reliquit.

Optimè cætera meritus de Repub.

*Tumultuan-
tem sub initia
Anni 1649.

Vni in se querimoniae locum fecit :

Quòd ruente in se KORECIORVM Domo

Sux iam po-
stremus Fami-
lia.

Suxæ Posteritatis generi non prospexeit;

Cuius negotium acturus (adlectâ magni nominis Consorte)

Præpostoris itineribus non tam ad Nuptias perrexerat, quàm ad Nænias.

Verè inequitat omni gaudio suus Dolor !

E H E V !

Momento variabilem personatæ Prosperitatis Comœdiam !
Aut si malis dici Tragœdiam : eodem actore, quo auctore

Ad Cereos Mortuales aetam !

Eius exitus la-
mentabilis.

Medeæ geminam, nî extra fabulas gesta esset.

Et hinc videlicet

Nuptialium ignium festiuæ lux

In ferales abiuit lychnos : Thalamus Tumulo commutatus !

Ita, Connubialis Fidei rata primùm foedera

Tristi ad exemplum diuortio, festinata mors rescindens,
Martiali è Tæda, Rogum accedit sepulchralem !

Non facile crederent Posteri

Trium duntaxat Parcarum ministerio

Abrupta in uno tot Heroüm stamina,

Nisi auxiliares plurium operæ accessissent.

Nihil attamen molita est sœua Atropos,

Primo Nuptia-
rum die mor-
bo lethali
corripitur.

KORECIANO EQVITI laqueis communibus extricato
Expeditor ad immortalitatem cursus patuit per spatia meritorum.

Faceſſant vmbrae Stygiæ

Veris Hic assuetus periculis, vmbras nec persequitur, nec timet.

* Hippocentaurum ne credite monstra Tartari, Bellator est:
Liuonicis, Moschouitis, Theutonicis, Turcicis, Tartaricis,
Prælijs, victorijs, fœderibus, tam metuendus, quam mitis.

* Olim insigne
eius Maiorum
post in Equi-
tem permuta-
tur.
Vide Stri-
couium.

Quin Tu ei da viam Æternitas

Aliam alibi felicitatis orbitam inituro.

ANNO C V R R E N T I S SÆCVLI, M. DC. LI.

Deceſſit 1651.
22. Febr.

Vitæ curſum Gloriæque cœpit verius quam exegit.

Extremo agoni proximus acerbè indoluit

Alieno ſe loco & ſitu interceptum mori.

Vſqueadeò Militari in domo genitum

Male habuit, fato non succumbere campeſtri.

Inter ludicra Saturnalium Hilaria,

Saltatorium cæteris orbem modulatè versantibus

Iſte ad momenta † Æternitatis, vel toro fixus, circumegit ſeſe!

† Quam mori-
bundus incla-
mavit perſapē.

T A N D E M

Sacro Cinerum die (mortis attende religionem)

Commune pulueris tributum Naturæ,

Cælo Animam vextigalem (mortis exactoribus) redhibuit.

Enim uero & his Defuncti Cineribus

Die Cinerum
exspirat.

Magnorum capitum apices ritè adaspersi ſunt,

Meminiffent in Originem intenti ſuam:

Etsi ſe ſupra homines, tamen ex Hominibus eſſe.

Plin. Traian.

Hic demum

S A M V E L C A R O L V S K O R E C K I

Per Regia Iagellonicæ propinquitatis confinia

Deriuati ab * OLGERDO ſanguinis riuos clauſit,

* Gedimini
filio.

E L A T Æ S E C V M F A M I L I Æ

S V M M V M F V N V S !

Age ſi ſapis, ô Hospes:

E fatali, Magnorum Siderum occafu,

Et tuam ipſe Vesperam ominare.



JN EQUITEM
KORECIANVM.



Parcite Curriculo SPES & FORTVNA: Suprema
Constitit ad Metas KORECIANVS EQVES.



Collège des Missions Étrangères de Paris
Publications Scientifiques



7, X 1848.



